



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex
auctoritate superiorum.||**

Maffei, Giovanni Pietro

Köln, 1585

VD16 M 110

Eiusdem ratio proximos adiuuandi. Cap. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

ta, fidei q; ac societatis humanæ perniciem, semper est detestatus: ac suo mōstrauit exemplo veritatis cultor eximius, quantum inter prudentiam & calliditatem interfit.

Eiusdem ratio proximos adiuuandi.

Cap. XI.

MIRAE fuit solertiæ in sollicitãdis mortalibus, & à diaboli seruitute ad Christi Domini obsequium traducendis. ac, quibus artibus dæmon ad animarum perniciem vtitur, easdem ipse (quoad liceret, ac fas esset) ad hominum salutem ac beneficium trãs ferebat. Voluntates ac naturas eorum quibus cum ageret, festine odorari; ambitiosis splendida, auaris vtilia, voluptuosis iucunda proponere; & suo, qd̄ aiunt, hamo vel esca quemque piscari. Iam in congressu, maxime Principum, id obseruabat in primis, vt sermonis initia illis daret, extrema reseruaret sibi: cauebatque ne de rebus etiam diuinis inepte vel ad satietatem ac fastidium ageret. Tristem vero & horridam sapientiam

entiam (utique postquam in lucem
hominum prodijt) semper vitavit: cū-
que philosophiæ nomen ipsum intel-
ligeret, etiam si modeste tractetur, ta-
men satis odiosum esse per se; nihil in
habitu suo, vel in genere vitæ, rarum
aut notabile conspici voluit: ac sem-
per sese, quibus reb⁹ honeste ac religio-
se potuit, ad communem consuetudi-
nem accommodavit: neque commi-
sit, ut quod ipse non faceret, id in ali-
js reprehendere putaretur: prorsus, ut
eius mores prima fronte, vel eminus
intuenti, vnus aliquis è populo vide-
retur esse: verum quò propius illum
inspiceres, quò diutius ac familiarius
vterè: eo magis præstantiam virtutes
que viri, tamquam odorem ex affri-
ctu, sentires. atque id ipsum est causæ,
cur nostris nullã in vestitu ornatuue,
religionis iniunxerit notam: sed quo
facilius in hominum coetus & consue-
tudinem irreperent, ac tempestiuus col-
loquijs vnumquemque adiuuarent; v-
bicumque gentium versarètur, quàm
modestissimo eius gentis habitu iussit
incedere: neque vllum dare signum a-
nimi

nimi à sensu communi vel ab humanitate abhorrentis. Idem valde vituperabat moderatores animarū eos, qui vel vna eademque via, ac ferme quam ipsi tenuissent, ceteros etiam ad studium virtutis conarentur adducere; vel, dūtaxat si quis ad pietatem esset sua sponte propensus, formandum regendumque susciperent: sed ipse nimirum vel feros & barbaros homines non dubitabat aggredi, sic, vt à singulis quod dabatur acciperet: & quos ad consilia Christi prouehere non posset, certe ad precepta sensim allicere nitebatur. atque vt bonus agricola non tantum rectas & fructuosas arbores, sed etiam de prauatas, neque ita fertiles colit, easque ad minuculis erigit, vel circumcidendo castigat, vel sub aliena latentibus umbra coelum aperit, vel telluris vitio laborantibus mutat locum; sic ille, rerum difficultate nequaquam exterritus, dispiciebat in primis, quod ingenium, qua ratione tractandum esset; iidemque saepe morbis, pro varietate naturae, non diuersas modo, sed etiam contrarias inter se medicinas adhibere
con-

consueuerat. Quod si quem, omnia expertus, tamen è coeno peccatorum extrahere nequiuisset, non ideo contrahebat animum, vel se angori dabat, quasi oleum & operam perdidisset, sed conscientiæ & officij fructu contentus, acquiescebat in alto Prouidentia diuinæ consilio. De spirituum discretione (quam ille scientiam habuit maximam) deque moderandis affectibus, multa præcepit egregie: quæ quoniam existant scripta (quemadmodum initio diximus) nihil est quod à nobis hoc loco ingerantur.

Vitæ eius quotidiana, & domestica.

Cap. XII.

SOcietati Præpositus, deuexa iam ætate, viuendi priuatim hanc ferme normam tenebat. Manè, vt primum, euigilasset, certum tempus dabat precationi, & contemplationi bonorum cælestium; deinde, si sacrificandum illi esset (quod munus propter summam animi attentionem, & corporis imbecillitatē, sæpe intermittere cogebatur) sacro, sub vesperam pridie, ad Urbis cōsue-

fue-